



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1637**

De tertio Puncto, & tertio gradu amoris Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

se diuinæ Maiestati per eius præsentiam coniungit, lumenque accipit, quo, quid maximè eius diuinæ voluntati circa suas actiones gratum sit, clarè cognoscat.

## PUNCTVM TERTIVM.

**T**ertius amoris gradus est, voluntatem Dei executioni mandare in Dei præsentia, & cum hominibus sic conuersari, vt illa cum Deo familiaritas non intermittatur, & ita laborare, vt nullam internæ quietis iacturam incurrat; ita vt præsentia Dei addatur executio voluntatis Dei. Hoc ipsum inuenitur in Dei erga nos amore, vt benè S. Pater noster in tertio Puncto his verbis: *Tertium est, considerare eundem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem & laborantem quodammodo, id est, habentem se ad modum laborantis, quatenus dat ipsis, conseruatque id quod sunt, habent, possunt atque agunt. que omnia, vt supra, in mei considerationem reflectenda erunt.* Vt intelligam

ligam quæ illa sit in me ipsum reflexio mihi necessaria; quò respondeam tertio isti amoris gradui,

NOTANDVM PRIMO, Quòd sicut Dei præsentia in creaturis non est otiosa, sed eas regit, mouet, gubernat, & cum illis operatur, & quodammodò laborat, semper & vbique illarum operationibus & motibus inuigilando; sic & in nobis Dei præsentia non debeat esse otiosa, sed laboriosa & operatiua, & quæ Dei voluntati perficiendæ nusquam se subducat. *Seruus enim qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis.* Velut etiam iustam domini sui indignationem incurrit seruus liberaliter & lautè habitus, qui, quò domini sui præsentia non priuetur, operari aut laborare non vult: econtrariò, ad maiorem cum domino suo familiaritatem admitti meretur seruus ille, qui lubens se aliquando eius conspectu priuat, quò laboret, ei que seruiat. Alioqui enim continget charitatem

tem otiosam destitui notitiâ eius quod facere debet; eumque, qui, dum lucem habet, non ambulat, luce, dum ambulare volet, priuari, & tenebris inuolui.

NOTANDVM SECVNDO, Quòd etiamsi Deus Dominus noster totius mundi omniumque creaturarum motibus & operationibus, pro singularum & cuiusque conditione & necessitate, inuigilat, non tamen à parte rei eum illa cura & labor distrahat aut fatiget; quia semper in se & secum manet, semperque in suæ quietis centro pacatè quiescit: sic etiâ homo, qui hunc amoris gradum consecutus est, ita operari debet, vt à se non exeat, sed, in se semper manens, sibi inuigilet, & operibus suis ita se accommodet, vt ab iis se abripi non sinat; sit suarum actionum suique ipsius dominus, vt verè in libertatem filiorum Dei transisse, dici possit. Hoc consequetur, si sibi & Deo benè vnitus, occupationum suarum varietatem ad vnum solum finem reducat; vnumque

mei.

que

que tantum in iis intendat & quærat, aliaque omnia tamquam accessoria & parui momenti reputet. Id autem, in quod collimare debet, est, summè diuinæ bonitati placere; eique, tamquam regulæ, & omnis, quod à nobis est, boni origini, se conformare.

## PUNCTVM QVARTVM.

**N**OTANDVM hîc PRIMO, Quòd materia Meditationis in hoc quarto amoris gradu sint omnes perfectiones diuinæ; in quo magnus nobis Meditationum campus detegitur, magnaque incentiua amoris: item aperitur via perueniendi ad notitiam diuinarum perfectionum, per vestigia perfectionum quas in rebus creatis animaduertimus. & hoc est quod dicit, *Prospectare quo pacto munera & bona omnia calitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio.* Illas enim perfectiones eo modo creaturis communicat, ut iis non spolietur; & ita eas distribuit,